

Propositio 100.

Jus proprietatis immediate ex ipsa lege naturali oritur.

Stat. quaest. 1) Ad eandem quaestionem respondent scholastici, jus proprietatis oriri ex lege naturali, et quidem *immediate*, i. e. non v. c. mediante pacto hominum, vel legibus civilibus, etc... sed antecedenter ad illa omnia.

2) Inter eos alii tenent lege naturali *praecipere* ut genus humanum, generaliter sumptum, vivat sub regimine proprietatis privatae; ac proinde singulis innatum esse jus acquirendae proprietatis; quod jus si abstracte sumitur, sit inalienabile (Recentiores plures).

3) Alii tenent lege naturali *permittere* vel etiam *suadere* ut ita vivat genus humanum, sed posse licite hominem individuum hujus juris exercitio (vel imo, secundum aliquos, ipsi juri) totaliter renuntiare; potuisse etiam totum genus humanum licite ad libitum eligere ut viverent sub regimine positivae communionis bonorum (S. Thom., Less., Suar., Molina, Soto, etc.).

Prob. 1^o Natura obligationem imponit vitae conservandae et perficiendae, ac proinde etiam media ad hoc necessaria dat; *a.* medium ad hoc necessarium est jus proprietatis; *e.*

Ad maj. Homini naturaliter proponitur finis ultimus per ejus activitatem humanam assequendus ex obligatione; *a.* conditio et fundamentum operationis humanae hujus, est hominis existentia et vita, ejusque perfectio; *e.* ad vitam conservandam et perficiendam, et ad media ad hoc necessaria, homo natura sua habet officium et jus.

Prob. min. 1) Plurimae res ad vitam necessariae tales sunt ut vel usu consumantur, vel saltem pluribus servire nequeant; *a.* ab istarum usu debet homo posse alios quoad fructum et dispositionem excludere, quod est jus proprietatis; *e.*

2) Plurimae res ad vitam necessariae tali opere comparandae sunt, ut nequeat homo tunc illud facere quum vel aetate, infirmitate, ... vel aliis nobilioribus laboribus distinetur; *a.* istas debet posse homo tanquam proprietatem securam parare et retinere; *e.*

Prob. 2^o Natura homines specificae aequales fecit, i. e. vi essentiae suae independentes alios ab aliis, ita ut nullus homo sit finis alterius hominis; *a.* haec aequalitas destrueretur sine jure proprietatis; *e.*

Prob. min. Nisi esset jus proprietatis, teneretur homo alii cedere fructum sui laboris et industriae quin ullam acciperet justam compensationem; *a.* ita unus esset naturaliter servus alterius, et periret naturalis aequalitas; *e.*

Schol. Regimen proprietatis privatae necessariam securitatem, per convenientem laboris divisionem, non solum proprietariis affert, sed etiam his qui proprietate carent; nam utilitas proprietariorum efficit ut ipsi aliis prospiciant; ut enim possint ex propriis divitiis omnem fructum utilitatis et voluptatis decerpere, collaboratione aliorum multorum opus est; *a.* facile

sentiunt hanc se collaborationem non obtinere posse, nisi alios securos faciant quoad necessaria et convenientia vitae materiali; *e.*

Objic. Jus proprietatis fundatur in egoismo, scilicet in cura sibi ipsi prospiciendi etiam cum detrimento aliorum; *e.* — **R. d. ant.** in egoismo inordinato, i. e. in amore sui inordinato, etiam cum injusto detrimento aliorum et laesione officiorum sive justitiae sive caritatis, *n;* in egoismo aliquo bene ordinato, et improprie dicto, i. e. in necessaria procuratione bonorum sibi necessariorum, et securitatis legitimae; *e.*

Coroll. 1^m Ergo furtum illicitum est, et quidquid furto ablatum fuit, restitui ab omni qui causa sive directe sive indirecte fuit debet.

Coroll. 2^m Ergo jus proprietatis, non solum individualis sed etiam collectivae, naturale est; nam fundamentum istius juris, necessitas perfectionis et evolutionis ac securitatis, et independentia naturalis ab aliis, vere dicitur tum de singulis hominibus, tum etiam de pluribus simul in consortio vivere et agere volentibus.

Propositio 101.

Rejiciendus est individualismus exaggeratus.

Stat. quaest. 1) Postquam probatum est jus proprietatis proprie dictum ac stabile existere, et quidem non dependenter ab hominum voluntate, sed ab ipsa lege naturali oriundum, vitandum tamen esse nunc notamus extremum oppositum errorem et abusum.

2) Persuadet facile vitiosa natura jus proprietarii esse absolutum, ita ut a) sit proprietatis suae dominus, sine ullo alio fine sibi praestituendo, quam propria voluptate et utilitate, — b) sit dominus independens ab ipso Dei dominio et dispositione, — c) possit proinde re sua uti et abuti, nullo respectu habito ad aliorum necessitatem utilitatemve.

3) Contra haec sint duae probationis partes : a) proprietatem ita esse a Dei dominio et dispositione dependentem, ut cum ea sint officia varia naturalia connexa; — b) proprietatis finem esse non personalem domino solum, sed insuper socialem etiam, licet secundo tantum.

Prob. 1^a pars (connexa officia). Deus, essentialiter dominus summus omnium rerum et hominum, dominium suum alii communicare potest, plene cedere non potest; *a.* homini communicans dominium in res creatas nequit non adnectere huic dominio certa officia naturalia; *e.*

Ad maj. Essentiale Deo est, ut ipse sit omnium causa prima efficiens, causa summa exemplaris, causa ultima finalis; *a.* tali causae essentialis est ut sit et maneat domina summa omnium; *e.*

Ad min. Dominium non plene concessum, sed participandum communicatum, nequit esse prorsus solutum ab omni limite morali (haec esset contradictio); *a.* dominium quod sit verae proprietatis jus, nequit simul habere

limitem moralem nisi annexa officia, et haec naturalia, sicut ipsa juris communicatio est; *e*.

Prob. 2^a pars (*finis etiam socialis*). Bona materialia a) natura sua talia sunt ut ad utilitatem et necessitatem *humani generis* dirigantur tanquam ad finem suum, — b) neque ad aliquos particulares homines tanquam proprietates pertinent nisi propter impossibilitatem *communiois positivae* bonorum, — c) ita tamen ad aliquos pertinent ut non sine limite morali ad eos solos pertineant, sed certa officia annexa habeant, ac proinde sint media ad illa officia adimplenda; — *a*. haec officia alia esse nequeunt quam quae homines officia erga alios homines habent (non juridica quidem sed vera); — *e*. finis proprietatis istorum bonorum (secundarius quidem) est, ut sint media ad illa officia erga alios homines, seu finis proprietatis est etiam socialis.

Ad maj. quoad a). cfr. prop. 94, et in theol. natur. prop. 61.

quoad b). cfr. prop. 96, 97.

quoad c). cfr. 1 part. hujus prop.

Ad min. cfr. prop. 82; — et *N. B.* Ex toto cursu naturali in nostro mundo apparet voluntas divina, ut per varia media naturalia humanum genus dirigat Providentia, omniumque necessitatibus, utilitati et jucunditati subveniat; *a*. unum ex his mediis sub manu Dei est diversitas possessionum inter ipsos homines, qua velit ipsos homines proprietarios et primarios ac optimates, in partem suae Providentiae cooptare, et per eos toti generi humano minus habenti procurare quae necessaria sunt; *e*.

Coroll. 1^m Dicitur in praecedentibus, finem proprietatis esse sociale, sed *secundario tantum*, 1) quia id solum ex argumentis propositis sequitur si comparantur cum argumentis quibus probatur existentia proprietatis, ejusque origo ex ipsa lege naturali, quae proprietatis jus propter bonum individui primario ostendunt; — 2) quia secus dicendum esset proprietarios esse aliis hominibus tanquam procuratores dominis suis subordinatos; — 3) quia ita jam proprietas non esset proprietas, scilicet non jus domini cum exclusione aliorum.

Coroll. 2^m Ergo hoc sensu explicandae aliquae locutiones rhetoricae catholicorum, v. c. Sⁱ Chrysostomi: divitias hominibus a Deo non tribui, nisi ut pauperum provisos et patroni sint, ut elemosynas suas divitias distribuant; imo divites non veros divitiarum dominos esse, sed dispensatores pro pauperibus.

Coroll. 3^m Ergo non licet proprietate sua ita abuti ut tum sibi tum aliis omnibus fiat prorsus inutilis; nam jus ad irrationabile non datur. Attamen officium illud utendi, non abutendi, non est juridicum cui in aliis respondeat jus coactivum impediendi abusum; nisi per accidens aliorum jura aliqua in conflictu veniant.

Propositio 102.

Qui in extrema necessitate versatur potest alienum surripere ut sibi subveniat, modo tamen rei dominus non sit in aequali necessitate positus.

Notiones. Quid sit necessitas communis, gravis, extrema, cfr. sup. proposit. 60.

Prob. 1^a pars (*potest surripere*). Homo habet jus ad media necessaria vitae servandae, dummodo per haec nulla alius certa jura violet; *a*. in extrema necessitate non est aliud medium nisi alienum surripere, nec per hoc aliena jura violantur; *e*.

Ad min. In collisionem veniunt hinc jus ad vitam, illinc jus ad proprietatem; *a*. tunc prius praevalet utpote magis et propius cum fine ultimo conexum; *e*.

Prob. 2^a pars (*nisi aequalis necessitas*). Si sit dominus in aequali necessitate, collidunt hinc jus ad vitam, illinc et jus ad vitam et simul jus ad proprietatem; *a*. tunc posterius praevalet; *e*.

Coroll. 1^m Ergo sublatum si usu non consumitur, postea restituendum est, quia jus tantum erat quantum necessarium ad vitam.

Coroll. 2^m Ergo erga hominem in extrema necessitate positum strictae obligationis est eleemosyna.

Propositio 103.

Proprietatem vi physica defendere licet, etiam usque ad necem necessariam injusti aggressoris.

Notiones. 1) *Vi physica*, dummodo non ultra necessitatem in proportionem cum bonis ipsis defendendis; nec major saevitia adhibeatur quam requirat et possessionis defensio et rei possessae valor. Erit autem aestimandus valor ille non absolute et physice, sed moraliter et relate ad necessitatem domini.

2) *Ad necem necessariam*, i. e. cum moderamine inculpatae tutelae (cfr. prop. 89); si nempe vere necessaria sit illa occisio injusti aggressoris ad retinendam possessionem, et si vere necessaria sit illa possessio ad vitandam necessitatem sive extremam sive gravem.

Prob. 1^a pars (*vi physica*). Bonorum materialium proprietatem defendere licet mediis necessariis et proportionatis; *a*. vis physica est saepe necessaria (patet), et est proportionata (vis materialis pro bonis materialibus); *e*.

Prob. 2^a pars (*etiam usque ad necem*). In conflictu jurium, jus fortius praevalet, jus debilius cedere debet; *a*. in nostro casu jus aggressoris injusti ad vitam debilius est, jus defensoris ad proprietatem legitimam fortius est; *e*.

Prob. min. Jus aggressoris est jus ad vitam, sed in concreto, ad vitam una cum violatione voluntaria juris alicujus gravissimi quod bonum universale respicit; — jus defensoris est jus ad proprietatem, sed in concreto, ad pro-

prietatem cujus amissio moraliter ordinario aestimatur ipsi vitae amissioni aequivalens; et insuper est jus defendendum, scilicet principium proprietatis, bonum universale respiciens, sine quo generi humano sufficienter provisum esse non potest, quod proinde maximi pretii supra omne bonum particulare aestimari debet; — *a.* hoc jus defensoris est validius jure aggressoris; *e.*

ARTICULUS 2.

De modo acquirendae proprietatis.

Propositio 104.

Prima acquisitio proprietatis non nititur in labore solo.

Stat. quaest. 1) Quaestio est quo titulo oriatur primum dominium certum in aliquam determinatam rem. — Probe distinguenda est haec a praecedente quaestione: ibi enim agebatur de fundamento juris proprietatis, i. e. de causa quae ipsum qua tale producat; nunc quaeritur de titulis, i. e. de factis particularibus quae hoc jus ad certas res in concreto determinent.

2) *Prima acquisitio*, scilicet alicujus rei praeeistentis, v. c. arboris, beluae, agri; sed quae adhuc erat determinate nullius, negative communis omnibus.

3) Ad hanc quaestionem respondent multi recentiores oeconomistae, titulum primae possessionis, seu factum coneretur quo prima rei alicujus proprietatis acquiratur, esse hominis laborem quo res specificetur, i. e. immutetur ac formetur quasi ad communicationem aliquam ipsius agentis, qui in eam rem quasi profuderit suam personalitatem. — Haec specificatio rei per laborem supponit quidem rei occupationem, at non ut titulum juris, sed ut merum factum praerequisitum.

4) Nos talem titulum concedimus pro ipsis effectibus operationum, esse nempe effectum productum causae suae proprium; sed negamus pro substantia rei praeeistentis circa quam facta sit actio.

Prob. Admitti nequit tanquam titulus primarius sufficiens proprietatis, illud quod 1) est de se nimis indeterminatum et semper varie intelligi potest, — 2) quod est de se medium non aptum ad proprietatem bonorum materialium acquirendam, sed potius finem ipsius juris proprietatis destruit, — 3) quod de se socialismo viam aperit; — *a.* de labore specificante haec obtinent; *e.*

Prob. min. 1 part. (indeterminatum). Labor ille intelligi dicitur *a*) verus labor, i. e. cum aliqua fatigatione conjunctus; — *b*) vere specificans, i. e. aliquid personalitatis agentis profundens in rem possidendam; — *a.* *a*) fatigatio est aliquid subjectivum, et mutabile pro varia agentium indole, viribus, actuali dispositione...; — *b*) profusio illa personalitatis est aliquid varie a variis aestimabile, ita ut alii possent actum qualemcumque, etiam mere inter-

num interpretari, alii veram rei mutationem saltem accidentalem (sed et hoc vario gradu), alii veram mutationem ita agenti propriam ut vix non essentialis dici debeat, vel ita ut res huic soli utilis esse possit; *e.*

Prob. 2 part. (non aptum). Multa bona *a*) utilia esse nequeunt nisi in ea forma in qua reperiuntur in natura; — *b*) multa alia, utilia non fiunt nisi post multam et diuturnam elaborationem, mutationem, collectionem; — *c*) multa alia per elaborationem nullam utilitatis mutationem subeunt, v. c. thesaurus inventus; — *a.* si circa illa requireretur labor et immutatio ad habendam proprietatem, haec proprietas jam esset inutilis, vel nimis difficilis et diu expectanda, vel gratuito onerosa; *e.*

Prob. 3 part. (socialismo). Si operatio circa rem aliquam huic sigillum personalitatis agentis imprimit, sicque eam facit illi propriam, jam omnis artifex qui circa rem aliquam suam industriam exercet, poterit sibi ejus proprietatem jure vindicare; *a.* ita mox inducuntur desiderata practica socialistarum (cfr. prop. 97); *e.*

Propositio 105.

Prima acquisitio proprietatis nititur in occupatione effectiva rei quae erat nullius.

Stat. quaest. 1) Ad eandem quaestionem respondent veteres Icti et Scholastici, titulum esse primam occupationem effectivam, i. e. per laborem sive proprie sive improprie dictum, rei quae adhuc erat nullius determinate proprietatis.

2) Igitur ad hanc occupationem requiritur: *a*) *activitas libera*, ut humano modo i. e. morali actu jus humanum cum suis moralibus effectibus oriatur; — *b*) *activitas externa*, scilicet externa sufficiens manifestatio actus interni voluntatis; — *c*) *intentio alios excludendi*, externe sufficienter expressa; — *d*) *activitas effectiva*, i. e. quae rem occupatam bene determinet, ab aliis non occupatis bene discernat.

3) Externa illa manifestatio voluntatis, seu actio occupandi effective bonum aliquod, potest esse vel prehensio rei proprie dicta, vel prehensio metaphorice effecta dummodo claris signis.

Prob. Aliquod factum particulare erit titulus sufficiens juris, si 1) illud jus ex humana personalitate fluit; 2) et si illud factum est de se aptum ad actuandum illud jus, 3) et est honestum, 4) et est natura sua manifestativum hujus actionis; — *a.* propositae occupationi haec omnia conveniunt; *e.*

Prob. min. 1 part. (jus ex humana personalitate). Fundamentum et origo juris proprietatis non est aliquid homini extrinsecum (conventio cum aliis hominibus, vel lex civilis), sed est ipsi intrinsecum (jus naturale personalitatis, i. e. sufficienter providendi suis necessitatibus in ordine ad finem suum essentialem): cfr. supra; *e.*

Prob. 2 part. (factum aptum). Occupatio effectiva proposita est evidenter apta ad exercendum actu jus possessionis, et ad manifestandam voluntatem actualem illud jus acquirendi et sibi retinendi.

Prob. 3 part. (honestum). Res supponitur fuisse adhuc nullius determinate, ac proinde nemo laeditur occupatione; et jus eam rem possidendi oritur ex ipsa naturali lege et necessitate; *e.*

Prob. 4 part. (manifestativum). Supponitur occupatio vere effectiva.

Objic. Si sola occupatio est sufficiens titulus, fieri poterit ut aliquis unus ingentem terrae partem, v. c. integrum continentem, sibi propriam faciat; *a.* hoc certe juribus aliorum repugnabit; *e.* — R. 1) *d. maj.* si sola occupatio idealis...; *c.* si occupatio effectiva, *n.* (haec superabit vires unius hominis, nec posset ei utilis esse); — *tr. min.* — R. 2) *tr. maj.* (posset quidem juvenibus aliis); — *n. min.* (tenebitur ille tantus dominus ceteris necessaria procurare).

Coroll. Ergo titulus sufficiens proprietatis acquirendae esse potest inventio et occupatio rei a priore possessore derelictae, vel amissae, dummodo haec amissio ex adjunctis rationaliter possit derelictioni comparari; tunc enim res iterum erat nullius, et occupatur effective ab inventore.

Propositio 106.

Legitima etiam proprietatis acquisitio est per accessionem, vel per praescriptionem a lege civili sancitam.

Notiones. 1) *Accessio* est rei alicujus conjunctio seu novus ortus, quae ad priorem possessionem ita accedit ut cum ea unum esse videri possit; et fit nativitate, alluvione, adjunctione, specificatione, commixtione, aedificatione, etc...

2) *Praescriptio* est modus dominium acquirendi per possessionem bona fide continuatam tempore satis longo ut legitimae occupationi rei derelictae aequivalere censeatur.

Stat. quaest. 1) Dicimus duos illos titulos esse sufficientes ad legitimam proprietatem constituendam. — Concedimus tamen inter homines in societate constitutos legem civilem jure interventuram, ut modum et condiciones magis determinatas praestituat, propter pacem omnium.

2) Speciatim pro praescriptione condiciones determinandae sunt: a) ut sint bona praescriptionis capacia (quae sub commercio privato veniunt), — b) ut sit vera possessio (non furtum, mutuum, depositum, etc), — c) ut cum bona fide (ut possessor putet revera rem esse suam), — d) ut per tempus sufficiens (a lege determinandum, varium pro varietate locorum et rerum), — e) ut sit possessio pacifica et non interrupta (sive interruptio fuerit per amissionem rei, sive per exortum dubium et malam fidem, sive per interpellationem prioris possessoris).

Prob. 1^a pars (per accessionem). Accessio sive incrementum, sicut detrimentum, rei quae fuit occupata est naturalis conditio (sicut omnis rei materialis); *a.* qui rem primus occupavit, eam voluit talem possidere qualis ex naturali sua conditione est, ejusque naturales fructus percipere voluit; et

vicissim res quae est alicujus propria, talis ejus est qualis ex naturali sua conditione est, i. e. cum suis fructibus; *e.*

Prob. 2^a pars (per praescriptionem). Admittendum est ut titulus legitimus illud quod 1) est ad pacem et tranquillitatem in consortio humano necessarium, — 2) est legi naturali conforme, — 3) est objectum sanctioni legis civilis subjacens; — *a.* talis est praescriptio; *e.*

Prob. min. 1 part. (ad pacem necessarium). Nisi praescriptio admittitur lites multiplicantur, proprietatis jus vix ullius non esset in perpetuo periculo ne quis adhuc ignotus titulus alicubi producat; *a.* ita nulla pax et tranquillitas inter homines, sed universalis aemulatio et diffidentia; *e.*

Prob. min. 2 part. (conforme). 1) Collidunt hinc jus proprietatis antiqui possessoris, illinc jus ad pacem publicam et ordinem inter homines; *a.* tunc posterius praevallet; *e.*

2) Qui bona sua tempore oportuno, satis longo, negligit custodire, merito censetur ea reliquisse; *e.*

Prob. 3 part. min. (objectum legis). Ex sola naturali lege et ratione requiritur tempus satis longum ut ordinario bonum suum possessor prior reperire et recuperare possit; *a.* hoc ipsum satis indeterminatum est, ut propter bonum commune, in societate civili constituta, possit et debeat per legem civilem secundum varietatem adjunctorum determinari; *e.*

Objic. 1^o Nec bona fides novi possessoris neque auctoritas civilis potest auferre jus certum prioris possessoris; *a.* hoc fieret praescriptione; *e.* — R. *d. maj. 1 part.* bona fides unius nequit auferre jus alterius, *c.* nequit esse unum elementorum legitimam praescriptionem constituentium, *n.* — *d. 2 part.* auctoritas nequit auferre jus, *c.* nequit declarare utrum jus debeat in conflictu cedere propter bonum commune, *n.* — *c. d. min.*

Objic. 2^o Saltem in conscientia non licebit bonum retinere cujus verus dominus cognoscitur post tempus praescriptionis. — R. *d.* si jam novus possessor factus est verus dominus, *n.*; si dominium non ipso facto amisisset prior, *c.*

Objic. 3^o Injusta est lex quae fraudibus patrocinator; *a.* haec lex...; *e.* — R. *d. maj.* quae per se...; *c.* quae per accidens, ob ignotam fraudem, *n.* (qui fraude utitur, in conscientia fur est ac restituere bonum debet).

Propositio 107.

Jure naturali succedit hereditate proles in bonis paternis ab intestato relictis.

Stat. quaest. Jam de titulis secundariis seu derivativis (ut saepe dicuntur) proprietatis acquirendae agitur, i. e. transmittendi dominii ab uno priore domino ad alium. — Et omnino evidens est donationem esse sufficientem titulum. — Sed addimus etiam possessore non donante, voluntatem suam non testante (*ab intestato*), et ita moriente, bona ejus omnia pleno jure naturali

pertinere ad ejus familiam, hereditatemque esse titulum sufficientem ut proles in proprietatem eorum veniat.

Prob. 1° Familia est vera societas cujus caput pater, et bona communia; *a.* in societate, ubi caput recedit substituitur alterum; hic vero substitui nequit nisi proles; *e.*

Ad maj. Generis et consortii humani membra non tam sunt singuli homines individui, quam potius singulae familiae, quarum patres sunt capita, et provisosores, et rectores.

Ad min. Si in societate caput aliud non substituitur, societas peribit; — si in familia non proles sed hospes aliquis substitueretur, familia destrueretur ut familia, et mutaretur in aliud.

Prob. 2° Officium strictum patris est velle et procurare proli bonum; *a.* ut verum ac stabile sit hoc bonum tenetur sua proli relinquere; *e.* etiamsi voluntatem suam testatus non sit, supponi debet ultimo momento dare voluisse; — et ita consensu communi omnes gentes interpretantur.

Prob. 3° Illud juris naturalis est sine quo servari non posset pax et tranquillitas inter homines; *a.* nisi proles pleno jure hereditatis succedat in bonis patris intestati, nulla esse potest pax et tranquillitas inter homines; *e.*

Prob. min. Secus, quoties vir intestatus morietur, bona ejus omnia erunt bona nullius (nam nullo jure alius se familiae et proli praeponendum contenderet); *a.* si bona sunt nullius, erunt iterum primi occupantis, ac proinde via aperitur omnimodis fraudibus, violentiis, direptionibus, familiarum ruinis, odiis, vindictis, etc; *e.*

Schol. 1^m Quaeritur quomodo intelligenda illa donatio bonorum proli, quae interpretative patri tribuitur. — R. Difficultas videtur, quod post mortem det, quando ipse jam non est, nec proinde jam possessor vel dator esse potest. Sed minime opus est ut *post mortem det*, dat enim eo momento quo adhuc dare potest et quo certe postea sibi fruiturus non amplius est, i. e. ultimis vitae momentis, ita ut dum pater animam exspirat filius bonorum dominus sit, non *feri incipiat*.

Schol. 2^m Quomodo distribuenda bona inter heredes. — R. Inter proximos in familia;... sed ulterius non bene determinat sola lex naturalis; et propterea suppleant leges in societate civili constituta, vel melius praevideat pater testamento (cfr. infra).

Schol. 3^m De jure primogeniturae, nihil bene determinatur ex sola lege naturali, nam *a)* omnes filii et filiae sunt aequaliter ejusdem patris proles, et omnium bonum aequaliter tenetur pater procurare; — sed *b)* patrimonium unum et stabile melius familias conservat, saepe melius etiam singulis membris providet, melius toti hominum consortio prodest, pace, prosperitate, stabilitate servata.

Propositio 108.

Testamentum non unice a lege civili, neque unice a consuetudine gentium, sed a jure naturali praecipue vim suam habet.

Notiones. 1) *Testamentum* generatim est actus quo possessor determinat ad quem post mortem suam velit bonorum suorum proprietatem transmittere, et quibus conditionibus et in quem usum.

2) Distingui potest *a)* *testamentum simplex* seu *strictius dictum*, quo propriarius bonorum suorum determinatam distributionem inter determinatas personas jubet fieri post suam mortem; vel etiam omnia uni heredi dat; — *b)* *testamentum complexum* seu *latius dictum*, quo varie de bonis suis sub variis conditionibus disponit, sive directe instituatur heres aliquis, sive non.

3) Fieri potest etiam ut heres designetur sive unus aliquis ex filiis (vel filiabus) proprietarii, sive aliqui, reliquis exclusis, sive omnes sed pro inaequalibus partibus, sive nullus ex his sed alienus.

Stat. quaest. 1) De facto nunc inter homines: *a)* agnoscitur jus testandi et valor testamenti; — *b)* testator saepe de bonis disponit pro tempore diu post ipsius mortem venturo, v. c. successivos heredes designans, vel hereditati varia perpetua onera connectens; — *c)* testandi jus legibus civilibus varie restringitur sive quoad ipsam dispositionem, sive quoad formalitates observandas.

2) Quaeritur igitur unde oriatur jus testandi; et respondent alii: ex lege civili id concedente; — alii: ex universali hominum consuetudine quae et legis vim obtinuerit, et signum sit illud jus esse juri naturali bene consonum, hominum societati bene utile; — alii: ex ipso jure proprietatis, cujus sit verum exercitium ultimum, ac proinde ex jure naturali.

3) Nos dicimus: *a)* non ex *sola lege civili*, quia concedimus etiam ex lege civili aliquem, in societate constituta, posse influxum, restrictivum praesertim, propter bonum commune exerceri; ita tamen ut non tanquam praecipuus fons juris possit lex haberi; — *b)* non ex *sola consuetudine gentium*, quia concedimus ex consuetudine invectam fuisse passim extensionem aliquam juris, quam sola lex naturalis non determinate concederet, nempe pro testamento complexo, quo v. c. praedeterminatur usus bonorum sub conditione diu postea purificanda, vel designatur heres diu postea nasciturus, vel etiam nullus instituatur heres, sed in alios usus, v. c. pios, vel publicos, vel ad erigenda monumenta publica jubetur impendi possessio; — *c)* sed *praecipue* a jure naturali et jure proprietatis.

4) Potest haec nostra sententia ita explicari: *a)* ut *in testamento simplici*, possessor ultimo suae vitae momento, dum adhuc est vivus, rerumque dominus, heredibus sua tradere dono dicatur secundum varias in testamento expressas proportionem, quas ideo antea conscripsit quia praevideat se ultimo momento jam non clare posse enunciare; — *b)* ut *in testamento complexo*, possessor eodem modo sua tradat, secundum varias condiciones sive prae-